ASSERTIONES PHILOSOPHICAE,

Quas Auſpice

DEO OPT. MAX.

PRÆSIDE

D. IACOBO SIBBALDO,

Adoleſcentes Magiſterii Candidati in

ACADEMIA MARESCHALLANA,

Die Viceſimo ſecundo Iulii propugnabunt,

Ab Aurora ad Meridiem.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Καλλιστος ἀρχὴ μισθὸς, μέ-

Ἐν ἀτόπῳ. Plato 2, de Rep.

ABREDONIÆ,

Excudebat Edvardus Rabanus,

ANNO 1623.

Dias. BB. 301.

Doctissimo συζητήσεως *Præsidi*

μελύδριον ἐπαινετικόν.

FLammis dum rutilis omine prospero
Fax injecta crepat laurea, victimis
Dum præcidaneïs Aonidum ducem
(Mi SIBBALDE) piis Ortygiæ à focis
Invitas propius, dum juvenum cohors
Illi sacra, tuis auspiciis, ferit
Bellonæ validis limina spiculis,
Sic doctas comites alloquitur novem
Phœbus, de solio, pectore patrio.
Proles dulcisono macte Heliconia
Cantu, solicitet pectine Dorico,
Plectro vel Phrygio dextera barbyton.
SIBBALDVM toties icta sonet chelys,
SIBBALDVS quoties promeruit chelyn,
Pro nostro Herculeïs viribus & grege
Certanti quoties cessit adorea.
Nec parmam sileat Pegaseum melos
Depictam toties, palmaque nobilis
Lemniscata suis ne careat modis.

Πρὸς αὐτόν.

Παπταίνων Σίββαλδε τὸν φίλε δαίμονα δῖον,
Ευκαθίαν τε φυῆς, ἀγχινοιάν τε νοός,
Οὐδὲν θαυμάζω. γενετῆς τὰ γ' ἔμφυον ἄστρα
Σῆς κρατέοντ' Ἑρμῆς, Ἡλίος, Κρονίων.

AMORIS ERGO DABAT
GVLIELMVS WEDDERBVRNVS,
Abredonensis, Græcarum literarum in
Academia Mareschallana Professor.

AMPLISSIMIS
ET ORNATISSIMIS
SENATORIBVS ABREDONANIS,
D. GEORGIO NICOLSONO,
Præfecto Magnifico,
D D.
ROBERTO IOHNSTONO,
GILBERTO CVLLENO,
D. IOHANNI MORTIMERIO,
THOMÆ COLINSONO,
Conſulibus Conſultiſſimis, Candidati Dedicant conſecrántque.

LYcurgus, Lacœdemone ſanxit, P. C. ſacris ut exigui pretii diis ſupplicaretur, quo farre & molâ etiam ſalſâ litarent, qui thura non haberent, ratus deos non tam accuratis adorantium pre-

cibus, quam innocentia & ſanctitate lætari; gratioremque exiſtimari qui puram caſtamque mentem, quam qui exotica eorum delubris aromata intulerit. Si vir pleno ſapiens pectore, nulli eſſe vitio, *NVMEN* colere, quo poſſet munere, duxerit, an non nobis merita veſtra, quorum nullam equidem partem non modo referendâ, ſed ne cogitandâ quidem gratiâ, conſequi poſſumus vèniam dabunt, quod levidenſi hoc munuſculo, & a ſola affectus pietate commendando, æternùm genio civitatis veſtræ animum teſtemur devotum. Imo gratum fore ſperamus, cum hoc nomine quod munus non afferimus, ut devinctos nos liberemus, ſed pignus ut obſtringamus, tum illo etiam, quod officii approbatio noſtri, beneficio nobis ſit luculentiſſimo: nam ut perpetuo gaudent æterna motu, eorumque eſt fœlicitas, facere fœlices, ſic vobis continuatis negotiis inque orbe quodam redeuntibus exercitis, nihil prius eſt, quam, conſuetudine in naturam verſâ, bene agere, nihil familiarius, quam muneribus nullam adhibere artem difficultatis ut non tam videamini præſtare, quam reddere. Munus hoc tutelæ eſt, quam illuſtri nomine veſtro, cumulatiſſimam præbeatis non tantum qua *ABREDONENSES*, (Magnum a maximis Heroibus Nomen, quos in æde famæ ad omnem victuros æternitatem virtus ſacravit!) ſed etiam qua *ABREDONENSIVM* quotquot præceſſere ſive ætatem ſpectemus, antiquiſſimorum, ſive gloriam, ſplendidiſſimorum, ſive pietatem, ſummorum æquaſtis venerationem, decus, famam, omnia tam religioſe adminiſtrando

niſtrando quam publica & quæ ſacrum Patriæ nomen tangant, tam diligenter quam veſtra, tam abſtinenter quam aliena. Sed laudes veſtras, utut oratio amoris incenſa facibus, involare in ſecretiora illa honoris adyta deſideret, tacendo malumus judicii laudem ferre, quam prædicando eloquentiæ fruſtra affectare. Tacemus ergo, & quod in Iphigeniæ extremo luctu Apelles, ſilentii quodam quaſi ſacro integumento involvimus, ut ſummum ac præclariſſimum quod velimus, quo minus poſſumus dicendo aſſequi, eò facilius alii intelligendo ſequantur. Verumenimvero utut omnia ſileamus, illam quo tacebimus piaculo benignitatem & innatam erga literarum ſtudioſos animi propenſionem, quæ ita in vobis elucet, ut videatur, ad hanc unam virtutem vos natura genuiſſe, exercuiſſe voluntas, fortuna ſervaſſe. Macti ea clariſſimi Senatores! Literæ, literæ ſunt quibus mortales vivi & ſoſpites certius quam per odores & aquilam e funere erumpentem conſecrantur, quæque abſentibus æternum, paremque virtuti inter heroas locum conſtituunt. Quod ſupereſt illas pergatis fovere, hunc literarium fœtum melioris donarij obſidem & veluti ſponſoriam tabellam, benigne intueamini rogamus: ita vovemus in fæliciſſima proſperitate ubi Iliacos æqualſe ſenes aut viciſſe datum fuerit; veriſſimæ veſter triumphus gloriæ quam virtute & meritis prorogatis, per poſteritatis ſeriem inoffenſos agat curſus; ita illuſtria ſydera Divorum numerum augeatis; ita denique urbs veſtra virtute & fortuna

tuna æternæ pacis fœdere concurrentibus, illa, ut optimam, hac, ut maximam reddat urbium, illud Romæ elogium aliquando digne audiat, ABREDONIÆ NIHIL PAR, NIHIL SECVNDVM. *VALETE.*

V. A. Devotiſsimi

GEORGIVS CLERICVS,

GEORGIVS SETONVS,

GVLIELMVS HAYVS,

GVLIELMVS LORNÆVS,

GVLIELMVS SETONVS,

HVGO GORDONVS,

IOHANNES CAMERARIVS,

IOHANNES KEMPÆVS,

IOHANNES SMITHÆVS.

NICOLAVS BLACKÆVS.

THESES
LOGICÆ.

I.

LOGICA est *Ars*.

2 *Naturæ quæ universales dicuntur, à parte rei, & in individuis existunt.*

3 *Ad universalitatem unitas & aptitudo multis inessendi requiruntur.*

4 *Unitas hæc cum neque numerica sit, neque formalis, omnino rationis est.*

5 *Illius fundamentum est unitas formalis, quam cum ea Monlorius male confundit.*

6 *Universalia non sunt sine mentis opera.*

7 *Universalia sunt æterna & in tempore; in singularibus, & extra; entia realia & rationis.*

8 *Genus universale, & universale genus recte & directe dicitur.*

9 *Genus ut totum, non ut pars prædicatur.*

10 *Differentias suo ambitu, potentiâ tantum complectitur.*

11 *In quid jure prædicatur, licet differentiâ sit imperfectius.*

12 *Species qua subjectibilis, nec est universalis nec singularis.*

13 *Species in unico individuo conſervari poteſt, genus non item in una ſpecie.*

14 *Quicquid de individuis immediate prædicatur aut eſt ſpecies, aut modum habet ſpeciei.*

15 *Genus à materia, differentiam à forma ſumi niſi ſano intelligas ſenſu, haud rectè dicitur.*

16 *Differentia inferior non includit ſuperiorem.*

17 *Principium individuationis forma non eſt.*

18 *Nec materia qua materia, qua ſignata tamen, non injuriâ a quibuſdam ſtatuitur.*

19 *Scoti opinionem hac de re tam difficile eſt deſtruere quam facile eſt ponere.*

20 *Mors, combuſtio adeſſe vel abeſſe ſine ſubjecti interitu poſſunt.*

21 *Multa dantur, quæ nec ſubſtantiæ ſunt nec accidentia.*

22 *Datur accidens quo nulla ſubſtantia eſt tempore prior, aut eſſe poteſt.*

23 *Subſtantiæ eſſentia eſt eſſe per ſe.*

24 *Hæc eſſentia per exiſtentiam ponitur extra cauſas.*

25 *Huic ſubſiſtentia adveniens ſuppoſitum efficit.*

26 *Deus non eſt in categoria ſubſtantiæ.*

27 *Angeli ſunt ſubſtantiæ prædicamentales.*

28 *Nihil tamen vetat corruptibile & incorruptibile genere differre.*

29 *Supremum genus prædicamenti ad aliquid non refertur per inferiora ſed immediate per ſe ad alterum.*

30 *Non tamen duo ſunt ſuprema genera in hac entium ſerie.*

31 *Rectè in ſcholis dicitur relationem duplicem habere conceptum, unum eſſe in, & alterum eſſe ad.*

32 *Ariſtoteles & methodo prudentiæ, & methodo naturæ uſus relationem præmiſit qualitati.*

33 *Nullæ ſunt relationes rationis abſque intellectus operatione, ut Scotus exiſtimat.*

PROB. *An relationes reales in ſubſtantia fundatæ, prædicamentales ſint.*

34 *Rationem fundandi relatio poſtulat, ut ſit, non ut conſervetur, fundamentum remotum ſemper exigit.*

35 *In accidente relato relationes poſſunt fundari.*

36 *Falſum*

36 *Falsum est relationem solâ ratione a fundamento distingui.*
37 *Multiplicatis terminis relatio necessario non semper multiplicatur.*
38 *Nomina non tantum rerum, sed etiam conceptuum signa sunt.*
39 *Nomen infinitum pro materiali nihil determinati significat, sed tam illud, quod est, quam quod non est, imo quod impossibile est.*
40 *Formaliter nullam rem, naturam, aut rationem positivam dicit, sed puram putam illius rei negationem supra quam cadit.*
41 *In propositione verè prædicari potest etiam de impossibilibus.*
42 *Transcendentia communissima possunt infinitari.*
43 *Verbum semper consignificat tempus, aliquando tamen absolvitur à tempore.*
44 *Verbum propositionis, & pars materialis, & formalis est.*
45 *Verba etiam in propositione infinita esse possunt.*
46 *Enunciatio non est ens reale, sed rationis.*
47 *Nulla enunciatio est simplex qualitas.*
48 *Enunciationes singulares de futuris contingentibus sunt veritatis determinatæ.*
49 *Dictum de omni, & de nullo sunt integri Syllogismi, solamque primam figuram continent.*
50 *Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ, neque penitus naturales sunt, neque prorsus contra naturam.*
51 *Melius tamen quandoque in secunda, aut tertia figura ratiocinamur, quam in prima.*
52 *Quarta figura licet conclusionem inferre possit naturalem, nunquam tamen naturaliter.*
53 *Syllogismus ex utraque propositione singulari efficax, non vero ex utraque particulari esse potest.*
54 *Secundus gradus necessitatis propositionum ad primum se habet tanquam genus ad speciem.*
55 *Hæc propositio, numerus est par vel impar, nec* ἢ αὐτὸ, *nec* καθ' αὐτὸ *est.*
56 *Hæc propositio, Homo est animal, non est* καθ' ὅλου.
57 *In secundo modo secundi gradus necessitatis semper est respectus causæ efficientis ad effectum.*
58 *Propositio omnis demonstrativa est reciproca, non contra.*

59 *Demonſtratio non eſt ſubſtantiarum, ſed accidentium.*
60 *Demonſtratio potiſſima & quod eſt, & propter quid eſt declarat.*
61 *Demonſtratio ab effectu eſt præſtantior demonſtratione à cauſa remota.*
62 *Demonſtratio illa non eſt in qua neque à cauſa ad effectum, neque ab effectu ad cauſam progreſſio fit.*
63 *Demonſtrationis medium ſemper eſt definitio majoris extremi, non ſemper minoris.*
64 *Per omnia genera cauſarum demonſtrare non licet.*

THESES MORALES.

I.

FOELICITAS *humana nec in virtute ſola, nec in ſola actione, aut voluptate conſiſtit, ſed in harum omnium conſpiratione.*

2 *Platonis opinionem de fœlicitate, tam infirmis rationibus, quam à propoſito alienis conatur Ariſtoteles primo Nicom. refellere.*

3 *Duo ſummi boni gradus, quorum unus ad actionem, alter ad contemplationem ſpectat ſecundum principia peripatetica perfecti non inveniuntur ſeparatim.*

PROBLEMA. An intendi poſſit vel remitti fœlicitas.

PROB. An fœlicitatis gradus ad actionem ſpectans conſtantior ſit illo qui in contemplatione ſitus eſt.

PROB. An bonum, pulchrum, jucundum, ſemper eadem ſint ſubjecto.

4 *Virtus & in extremitate & in medio collocatur.*
5 *Appetitus ſenſitivus virtutis moralis ſubjectum eſt.*

PROB. An virtus moralis recipiat magis & minus.

6 *Qui unam virtutem habet, omnes habet.*

7 *Virtus*

7 *Virtus moralis una eſt, duæ, tres, quatuor, & innumeræ.*
8 *Amor non eſt deſiderium.*
9 *Voluptas & dolor non ſunt paſſiones.*
10 *Difficilius eſt voluptati quam iræ reſiſtere.*
11 *Actiones præcurrentes & ſequentes virtutis habitum differunt ſpecie.*
12 *Paſſiones totâ ſuâ latitudine non ſunt pravæ.*
13 *Deſiderium boni & pulchri non eſt violentum.*
14 *Plato in convivio amantem præfert amato, Leo Hæbreus. 3. Dialog. de amore amatum præfert amanti, inter tantos noſtrum non eſt lites componere, tu elige.*
15 *Bona naturæ & fortunæ vera bona ſunt.*

THESES PHYSICÆ.

I.

TRIA *ſunt principia rerum naturalium, materia, forma, & privatio.*
2 *Materia eſſentialiter eſt pura potentia, non tamen in potentia.*
3 *Eadem licet actus non ſit, actu eſt per propriam exiſtentiam.*
4 *Non datur in materia potentia accidentalis ad formas recipiendas.*
5 *Potentia materiæ advenient actu non deſinit eſſe.*
6 *Materiæ quicquid Avicenna contradicat appetitus competit formæ, neque tamen quia eâ caret, neq; quia tædio afficitur præſentis.*
7 *Materia minus nobilem formam appetit, licet informata formâ nobiliori.*
8 *Nulla forma naturalis, priuſquam generetur res naturalis quam conſtituit, in materia præexiſtit.*
9 *Formæ ante generationem non ſunt in ſola virtute & potentia agentis.*
10 *Materia non eſt natura.*
11 *Motus diſtinguitur à termino & à mobili realiter.*

12 *Vacuum naturaliter dari non potest.*

13 *Si daretur vacuum in eo dari posset motus.*

14 *Propositio hæc, Omne quod movetur, ab alio movetur, aut falsa est, aut licet vera infirmum nimis fundamentum demonstrationis primi moveris.*

15 *Verius & evidentius principium illud Metaphysicum:* Quicquid fit, ab alio fit.

16 *Rectè Avicenna non Physici, sed Metaphysici esse demonstrare ens dari aliquod primum & increatum.*

17 *Vniversum quod à causa summè bona est, quæ nulli invidet, & potentissima quæ à nemine impediri potest, perfectum esse convenit.*

18 *Hæc perfectio non requirit in rerum speciebus, sed in earum gradibus absolutam præstantiam.*

19 *Cœlum rectè statuitur quinta essentia, ab elementis distincta iisdemque nobilior.*

20 *Nec contrarium ex optica demonstrari potest, ut Iohannes Pena & alii existimant.*

21 *Naturam hanc cœlestem compositionis ex materia & forma expertem falso Averroes judicavit.*

22 *Materia illius diversa est conditionis a materia sublunarium.*

23 *Hæc materia cœlestis non est subjecta privationi & appetitui.*

24 *In cœlis nullum est vitæ indicium, præter motum localem qui secluſa cognitione & amore per se vitam non arguit.*

25 *Cœlum non est animatum.*

26 *Cœlum non ab intrinseca forma, sed ab extrinseco moveri demonstrare nulla ratio potest.*

27 *Probabiliter tamen ostenditur ab extrinsecis motoribus cieri.*

28 *Hi intelligentiæ sunt.*

29 *Non minus vanum est cœli omnem in inferiora actionem negare, quam actionem in omnia concedere.*

30 *Motus nec ratio est agendi in eo, nec conditio necessaria ad agendum.*

31 *Vana est astrologia judiciaria quæ ratione destituta vanisque successibus sæpe elusa aut inanes spes subjicit consultorum animis,*

animis, aut inutili metu incautos ſuſpendit.

32 Quatuor eſſe elementa demonſtrari non poteſt, quatuor tamen eſſe probabile videtur.

33 His qualitates primæ conveniunt ſecundum quatuor legittimas συζυγίας.

34 Igni primum calor, aeri humor, aquæ frigus, terræ ſiccitas competit.

35 Nulla harum qualitatum licet remiſſa contrariam habet admixtam naturaliter.

36 Symbolæ qualitates ſunt ejuſdem ſpeciei.

37 Beneficio harum qualitatum omnium mutationum ſubſtantialium quæ in ſublunari mundo contingunt, elementa principia ſunt.

38 Omnis generatio eſt corruptio & contra.

39 Generatio non conſiſtit in productione formæ.

40 Non repugnat tam ſubſtantialem formam quam accidentalem genito ineſſe quæ fuit in corrupto.

PROB. An corruptio naturalis ſit.

41 Eductio formæ materialis de materia non ſemper eſt generatio.

42 Nihil vetat & materia & forma fluentibus, idem accretionis numero ſubjectum toto vitæ tempore manere.

43 Elementa non ſunt in mixto formaliter.

44 Animam eſſe, eamque eſſe ſubſtantiam nemo animæ compos dubitaverit.

45 Ejus conſideratio cumtamque ejus ſpecierum ad Phyſicam ſpectat, etiam animæ rationalis & quoad ſubſtantiam & quoad operationem.

46 Omnis anima eſt actus corporis, etiam ſeparabilis, imo etiam ſeparata a corpore.

47 Hic actus primus eſt non naturæ tantum, ſed etiam perfectionis, ut ita loquar, prioritate.

48 Nec obſtat illud Philoſophi ἕκαστον ὧν ἐστιν ἔργον ἐστὶν εἶναι τοῦ ἔργου.

49 *Animæ ſpecies non tres tantum, ſed innumeræ pæne ſunt.*

50 *Qui in uno vivente tres ponit animas diſtinctas, vehementius errat, quam qui in eodem compoſito plus minus quinquaginta formas ſtatuit.*

51 *Vniuſcujuſque tamen viventis anima, plures continet animas.*

52 *Anima non immediate ſed mediantibus potentiis operationes elicit.*

53 *Potentiarum ſubjectum nec corpus animatum nec animam ſine diſtinctione, & ſine errore quiſquam ſtatuerit.*

54 *Ab anima realiter diſtinguuntur & inter ſe.*

55 *Specificam autem diſtinctionem ſumunt ab actibus & objectis.*

56 *Vna & eadem potentia ſenſitiva activa eſt & paſſiva.*

57 *Vt ſenſatio eliciatur neceſſaria eſt ſpecies.*

58 *Circa objectum ſenſus non errat per ſe.*

59 *Senſus etiam quando decipitur, objectum per veram illius ſpeciem apprehendit.*

60 *Quinque tantum ſenſus externos eſſe nec Ariſtoteles nec Divus Thomas demonſtravit.*

61 *Nec fœlicius idem præſtitit Cardanus vel Scaliger.*

62 *Senſuum nobiliſſimus viſus eſt.*

63 *Viſio fit per receptionem ſpecierum, non autem per emiſſionem radiorum.*

64 *Anima rationalis hominis forma non aſſiſtens, ſed informans eſt.*

65 *Hæc eadem numero non eſt in omnibus, ſed in unoquoque una.*

66 *Anima rationalis non educitur de potentia materiæ, ſed creatur.*

67 *Eadem anima ſua natura immortalis eſt.*

68 *Eidem ſeparatio à corpore eſt naturalis, ſeparata tamen appetit corpori univi.*

PROB. An omnes animæ rationales ſint ejuſdem perfectionis.

69 *Animæ rationalis duæ ſunt, & duæ tantum re diſtinctæ facultates, intellectus & voluntas.*

70 *Intellectus duplex recte à Philoſopho ſtatuitur, agens & patiens.*

71 *Intellus agentis non eſt abſtrahere, nec ullo modo intelligere.*

72 *Ejus præcipuum munus eſt una cum phantaſmate à ſe illuſtrato ſpeciem intellectui patienti imprimere.*

73 *Intellectio*

73 *Intellectio non consistit in specici receptione, nec in ulla propriè dicta actione, sed in specie expressa seu verbo mentis.*

74 *Per speciem hanc expressam res intime representantur, & potentia cognoscens fit res cognita.*

75 *Intellectus non minus propriè universale quam singulare cognoscit.*

76 *Inter universalia, & magis universale, & minus universale cognitione confusa rectè statui potest primum cognitum.*

77 *Probabile est intellectū nihil percipere in hoc statu sine phantasmate.*

78 *Hoc tamen nec efficaciter Thomas nec Scotus demonstravit.*

THESES SPHÆRICÆ.

I.

PHAERAE *Centrum necessario continet omnis linea recta quæ à centro circuli in Sphæra positi orthogonaliter egreditur.*

2 *Eadem linea per polos ejus utrinq; continuata transit.*

3 *Omnis circulus major in Sphæra lineam polarem utramque habet potentialiter subduplam Sphæræ diametro, æqualemq; lateri quadrati ipsi circulo magno, inscriptibilis.*

4 *Si quis in Sphæra circulus alium æqualiter, & ad angulos rectos secuerit, ipse magnus erit, & per polos ejus quem secat transibit.*

5 *Omnes circuli maximi in Sphæra sunt æquales.*

6 *Quotlibet circulorum in Sphæra æquidistantium centra cum polis suis in una recta linea reperiuntur.*

7 *Si tres circuli maximi se mutuo secent ad angulos rectos, erunt duo poli cujuslibet illorum in communibus sectionibus circumferentiarum aliorum duorum.*

8 *Omnis circulus maximus per polos alterius circuli transiens eum per æqualia dividit, & ad angulos rectos.*

9 *Omnes minores circuli æquales, à centro Sphæræ æqualiter distāt, & si ab eo æqualiter distiterint circuli minores, ipsi æquales sunt.*

10 *Horizontis poli sunt zenith & nadir: illius ab æquinoctiali distantia tanta est quanta poli altitudo, atq. adeo hujus complementū, & illius, scilicet distantia puncti verticalis à polo & elevatio æquinoctialis super horizontem sunt inter se æqualia.*

11 Æquinoctialis omniũ quos Sol motu primi mobilis describit parallelorum maximus, uniformiter & regulariter super mundi polis movetur.

12 Zodiaci in Sphæra rectâ quartæ à polis solstitialibus inchoatæ adæquantur suis ascensionibus, at earum partes variantur.

13 In eadẽ Sphæra quilibet duo arcus zodiaci æquales & æqualiter distãtes ab aliquo punctorũ dictorũ, atq. adeo & oppositi æquales habẽt ascẽsiones.

14 In Sphæra obliqua medietates zodiaci à punctis solstitialibus inchoatæ suis ascensionibus adæquantur.

15 Quilibet duo arcus ecliptice æquales, & æqualiter ab alterutro puncto tropico distantes habent ascensiones in horizonte obliquo conjunctas æquales ascensionibus eorundem pariter conjunctis.

16 Ascensio cujuslibet arcus seu signi in omni Sphæra æqualis est ascensioni arcus vel signi oppositi.

17 In Sphæra obliqua quodcunq. signũ rectè oritur obliquè occidit, & cõtra.

18 Dies naturales sunt inæquales.

19 Sub æquatore omnes dies artificiales sunt æquales noctibus, omnes stellæ ortum habent, & occasum, & umbræ quandoq. versus meridiem, quandoq. versus septentrionem, aliquando nusquam declinant.

20 Sub omni parallelo versus septentrionem ab æquatore dies nocti æqualis tantum bis in anno est, dies autem æstivi hyberuis longiores noctes breviores, & quanto ab æquinoctio distantiores, tanto æstivi productiores, hyberni correptiores.

21 Sub remotiore parallelo ab æquatore major est dierum & noctium inæqualitas, major ꝙ pars stellarum semper apparentium, major semper etiam occultarum.

22 Sub omni parallelo inter æquinoctialem, & tropicum cancri umbræ meridiei quandoque versus austrum, quandoq. versus septentrionem inflectuntur, & bis in anno nusquam.

23 Sub tropico cancri semel in anno nulla fit meridiana umbra, nunquam autem fit ad meridiem inflexio.

FINIS.